



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo, Decano, & Cantori Davaliensibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

lis, pontificatus nostri anno decimoquinto.

*EPISCOPO, DECANO,
& Cantori Davaliensibus.*

*Epist. 29.
De qualitate
suis sic
conteratur.*

Cum, sicut venerabilis frater noster Zaratonienſis Episcopus propoſuit coram nobis, venerabilis frater noster Archiepiſcopus & Canonici Thebani Zaratonienſem dioceſim, cum ſit Thebanæ [vicina,] continuò occupare præſumant & eundem Episcopum multipliciter indebitè moleſtare, nos volentes ut utriſque jus ſuum conſervetur illaſum, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus partibus convocatis, inſiſta plenius & cognita veritate, utrumque faciatis ſua dioceſi manere contentum, contraſcriptores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Teſtes autem qui fuerint nominati &c. *uſque* perhibere. Quòd ſi non omnes &c. tu, frater Episcopo, cum eorum altero &c. Datum Laterani v. Idus Aprilis, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

*ARCHIEPISCOPO THESSALONICENSI,
& cleſto Demiticiaceniſi, & Theſaurario
ſancti Demetrii Theſſaloniceniſis.*

*Epist. 30.
Delegat cogni-
torem de in-
ſiſtente ma-
nu violenta.*

Venerabilis frater noster Zaratonienſis Episcopus nobis conquerendo monſtravit quòd Decanus & Canonici Thebani eum multipliciter moleſtantes, ipſum præſumpſerunt multipliciter inſamare quòd bladum comburi fecit eorum, ac manu armata terram intrantes ipſius, & quendam ſuum hominem capientes, ipſum afflictum crudeliter tradiderunt judici ſeculari, qui diù eundem detinuit mancipatum cuſtodia carcerali. Præterea dictus Decanus & G. de Befens & G. de Piſtavia Canonici cum G. de ſancta cruce Caſtellano Thebano & quibusdam aliis laicis Thebanæ dioceſis in domum ipſius Episcopi nequiter irruentes, & manus temerarias inſcientes in ipſum, quendam hominem ſuum, quem propter eorum ſævitiã brachiis tenebat propriis amplexatum, capere præſumpſerunt & arctæ cuſtodia manciparunt. Cum igitur hæc, ſi vera ſunt, non debeamus conniventibus oculis pertranſire, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus quatinus vocatis qui fuerint evocandi, & inſiſta plenius & cognita veritate, quod canonicum fuerit appellatione poſtpoſita ſtatuat, facientes quod decreveritis per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Si verò vobis conſiterit de inſiſtente manu violenta,

Tom. II.

dictos ſacrilegos tamdiu appellatione remota excommunicatos publicè nuntietis & faciatis ab omnibus arctius evitari donec paſſo injuriam ſatiſfecerint competenter, & cum veſtrarum teſtimonio litterarum ad ſedem venerint apoſtolicam abſolvendi. Quòd ſi non omnes &c. duo veſtrum &c. Datum Laterani v. Idus Aprilis, pontificatus noſtri anno decimoquinto.

*EPISCOPO TAVRINENSI,
& Præpoſito ſancti Gaudenſis Novarieniſis.*

*Epist. 31.
Caſſat Ottonis
Imp. ſententiã
in Episcopum
Cumanum.*

Sicut ea quæ à catholicis & devotis Principibus rationabiliter ordinantur, firma debent & illibata ſervari, ſic ea quæ à perfidis tyrannis improbè ſtatuantur, illo maxime tempore quo excommunicationis vinculo tenentur aſtriçti, carere debent robore firmitatis, cum tales legitime nequeant iuriſdictionis officium exercere ab unitate fidelium ſeparati. Cum igitur Otto, non jam nominandus Imperator, ſed impius perſecutor, cum ſuis fautoribus anathematis ſit vinculo innodatus, & à debito fidelitatis ipſius abſoluti ſint univerſi, nos omnia quæ idem excommunicatus vel aliquis ejus officialis contra Clericos vel Eccleſias ſtatuit aut ſtatuerit, ſive contra Principes aut eorum fautores, qui memorato tyranno ſuum ſubtraxerint obſequium ut libertatem & juſtitiam tam Eccleſiæ quàm imperij tueantur, denuntiamus irrita & inania, eaque de communi fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica omnino caſſamus. Specialiter autem ſententiã quam idem Otto contra venerabilem fratrem noſtrum Cumanum Episcopum ſuper cauſa quæ vertitur inter ipſum & Capitaneos de Arzago, pro eo quòd ad ipſius excommunicati præſentiam idem Episcopus non acceſſit, cum vocatus fuiſſet ab eo, nequiter promulgavit, decernimus nullam eſſe, nec per eam aliquod Cumanæ Eccleſiæ in poſterum præjudicium generari. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus quatinus Capitaneos ipſos, ut dictum Episcopum vel ejus Eccleſiam occasione ipſius ſententiæ non aggravent vel moleſtent, monitione præmiſſa per cenſuram eccleſiaſticam appellatione remota cogatis. Datum Laterani Non. Aprilis, pontificatus noſtri anno decimoquinto.



H H h h ij